



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio II. De natura & Essentia diuinæ Prædestinationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

QVÆSTIO II.

De natura & essentia diuinæ Prædestinationis.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 1. 2. & 3. & q. 24.

Resoluetur hæc quæstio quatuor dubitationibus. I. Quid tum in genere, tum hoc loco, per diuinam Prædestinationem intelligatur; deq; eius obiecto siue subiecto, & termino in communi; & deniq; an in Deo sit Prædestinatio. II. Quidnam essentialiter & formaliter sit Prædestinatio; actusne voluntatis, an intellectus; & qualis. III. Quæ ratione Prædestinatio se habeat ad Præscientiam, Dilectionem, Electionem, Prouidentiam; an sit huius pars, & qualis. IV. Quid sit liber vitæ, & quomodo se ad Prædestinationem habeat.

DVBIUM I.

Quid tum in genere, tum hoc loco per diuinam Prædestinationem intelligatur; deq; eius obiecto, siue subiecto cui, & termino, in communi; & deniq; an in Deo sit Prædestinatio.

S. Thom. I. p. q. 23. a. 1. & 3.

AD Prouidentiam diuinam aliquo modo spectare Prædestinationem, nemo dubitat, quæ de causa etiam tum à S. Thomæ hic I. p. quæst. 23. tum à Theologis in I. distinct. 40. eius tractatio Prouidentie adiungitur, vel subnectitur. Sunt autem quinque potissimum capita, quæ in hoc argumento explicationem requirunt; nimirum I. ratio & natura Prædestinationis; ex qua simul etiam intelligitur, an in Deo sit Prædestinatio. 2. effectus eiusdem. 3. causa. 4. ordo ac progressus eiusdem in mente diuina. 5. Infallibilitas eiusdem & concordia cum libero arbitrio; de quibus ordine deinceps singulis quæstionibus disserendum erit; faciendo hæc quæstione initium ab ipsa essentia & natura prædestinationis; ad quam declarandam, hoc dubio solummodo Quid nominis ipsius prædestinationis, & communem eius conceptum inuestigabimus; quinque hæc sigillatim declarando. I. Quis sit vsus huius nominis Prædestinari & Prædestinatio, tum apud sacros, tum apud profanos auctores; quodque eius etymon. 2. quid in præfenti his nominibus significetur. 3. quodnam sit subiectum vel obiectum Cui prædestinationis. 4. quisnam sit & dicatur terminus prædestinationis. 5. Verus & absolutus conceptus quid nominis prædestinationis ad hunc locum accommodatus, cum suis synonymis; quæ omnia sequentibus notationibus ordine declaramus.

2 Notandum igitur primò, vocabulum Prædestinare, Prædestinatus, Prædestinatio, profanis scriptoribus latinis vix esse in vsu; sed vocem tamen simplicem, *Destinare* ab ijs frequenter vsurpari, idque vario sensu; primò pro eo, quod est deliberare. Quomodo Suetonius in Cæsare cap. 44. dixit: *In dies plura aut maiora de ampliando imperio destinabat.* Secundò absolute pro decernere, seu constituere. Hinc Cicero in Officijs; *Cum eorum alteri,*

inquit, *Dionysius diem necis destinasset.* Et Orat. pro Sestio: *Qui locus orbis terræ iam non erat alicui destinatus?* Et in epistol. *Quod tibi destinatus trapezophoron, sit deletat, habebis.* Eodemque sensu intelligi potest illud Suetonij in Galba, cap. 16. *Statim legationem cum mandatis destinaverunt;* hoc est, decreuerunt: nisi fortè hic simpliciter significet mittere, qui proinde tertius à quibusdam significatus constituitur. Quartò idem significat, quod Deputare seu designare rem quampiam ad aliquem finem.

Ab hoc verbo *Destino*, iuxta secundum maximè & quartum significatum, dicitur tam de re, quam persona verbum *Prædestinare*, Ecclesiasticis maximè Scriptoris vsitatum, pro eo, quod est prius destinare, vel ante destinare, siue præordinare, prædecernere, prædefinire, prædeterminare: item prædestinatus quasi prædefinitus, præordinatus; & prædestinatio, quasi præordinatio, prædefinitio, prædeterminatio. Quo sensu etiam Amilius Probus in Eumene: *Primus, inquit, Leonasus Macedoniam præoccupare prædestinavit.* Huic verbo, apud græcos, eodem sensu respondet verbum *προορίζω* vel *προορίζω*, quod propriè & ad verbum sonat præfinire seu prædefinire, prædeterminare, prædestinare, vel prædestinari; vnde *προορισμένον* & prædestinatus, prædefinitus, prædeterminatus, & *προορισμός*, prædefinitio seu prædefinitio, prædeterminatio, præordinatio. Tribuitur autem tam apud latinos, quam apud græcos Scriptores Ecclesiasticos Verbum, & actus prædestinandi eo verbo significatus, Deo, æterno suo decreto non solum personam aliquam ad aliquem finem efficaciter destinanti, sed vniuersim etiam rem aliquam in tempore faciendam decernenti.

4 Quare etiam sine vlla dubitatione certum est; voculam *Præ*, siue græcè *προ*, saltem prioritatem &

anteceffionem temporis seu durationis significare respectu rei vel personæ prædestinatæ siue prædestinatæ, vt rectè Vasquez hic disput. 87. cap. 5. an verò etiam præterea aliquando significet, aliquam dignitatis aut excellentiæ prærogatiuam, comparatione aliorum, vt vult Catharinus lib. de prædestinatione, quem impugnat Vasquez loco citato, vel etiam aliquam naturæ & causalitatis prioritatem, respectu nostræ cooperationis, seu vsus libertatis nostri, id hoc loco definiti non potest; sed pendet ex ordine & processu prædestinationis, quem habet in mente diuina, de quo quæstione 5. agendum est. Satis est hoc loco scire, eam prioritatem siue dignitatis, siue naturæ, ad communem & generalem conceptum prædestinationis intrinsecè non pertinere: imò etiam si eiusmodi quidam siue dignitatis, siue naturæ ordo in prædestinatione diuina interueniret, cum tamen non necessariò ideo, per voculam illam *Præ*, ex vi verbi fuisse significatum.

5 Notandum secundò, Prædestinari, seu prædestinationem passiuam, quatuor modis apud Scriptores Ecclesiasticos vsurpari. Primò enim generatim ac latissimè tribuitur tam rebus, ac personis omnibus, atque effectibus quibuscunq; à Deo præordinatis & prædestinatis; quales sunt res creatæ omnes, etiam malum poenæ; non tamen peccata seu mala culpæ, vt superius disputatione 2. quæst. 10. dub. 6. dictum est. Quo modo S. Augustinus lib. 2. de bono perseuerantiæ cap. 17. ait: *Nam in sua, quæ falli mutariq; non potest præscientia, opera sua futura dispone, id omnino, nec aliud quicquam est, nisi prædestinare.* Et ibidem cap. 18. *sed prædestinasse, inquit, est hoc præscisse, quod fuerat ipse facturum.* Et Ecclesia Lugdun. tomo 2. Aucarij Patrum lib. de tribus epistol. Regul. 2. ait: *Nihil omnino esse, aut fuisse, aut futurum esse posse in operibus Dei, quæ siue in condendis, siue in regendis, siue in consummandis, vel finiendis creaturis agit, quod non ipse in suo æterno consilio atque iudicio & veraciter præscierit, & immobiliter prædestinauerit.* Atque ita omne, quod temporale est, in temporaliter sua præscientia & prædestinatione præcedit. Et regul. 3. ait: *In operibus omnipotentis Dei, non sunt alia præscita, & alia prædestinata.* Plura in hunc sensum adduximus supra disput. 2. quæst. 10. dub. 6.

6 Secundò, quia in rebus creatis, quæ à Deo præordinantur ac prædestinantur, præcipuum quiddam est creaturæ intelligentis; & consecutio supremæ beatitudinis, ac opposita ei damnatio; idcirco prædestinatio accipitur aliquando paulò strictius pro æterna destinatione creaturæ intelligentis ad supernaturalem beatitudinem, & oppositam ei damnationem, & media ad vtrumque conducentia, quæ peccata non sunt. In quem sensum S. Thomas hic quæst. 23. artic. 1. ad 2. ait: *Creaturæ irrationales, quia non sunt capaces illius finis, qui facultatem humane naturæ excedit, non proprie dicuntur prædestinari; etsi aliquando abusue prædestinatio nominetur respectu cuiuscunq; alterius finis.* Et B. Prosper ex S. Augustino ad Vincentium obiect. 11. ait: *Ad prædestinationem eius (Dei) nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitum iustitiæ & retributionem, aut ad indubitam pertinet gratiæ largitatem: quanquam hoc et-*

iam generatim ad omnia bona hominibus à Deo collata, quamuis ad solum creationis beneficium spectantia, referri potest: sola enim ibidem peccata à diuina prædestinatione excluduntur. Clarius Ecclesia Lugdunensis lib. aduersus Ioannem Erigenam Scotum, asserentem duas prædestinationes non esse, Col. 1064. ait: *Prædestinationem autem & æterni consilij, & iudicij Dei, siue in remuneratione iustorum, siue in damnatione iniquorum, & propter vnã ac simplicem scientiam diuinam, in qua simul atque æternaliter de omnibus præordinatum atque præfinitum est, vnã veraciter dicimus. Et propter duplicem eius efficientiam, quæ alij misericorditer liberantur, alij iuste damnantur, duas dicere non timemus: fideliter cum Psalmista ipsi iudici vniuersorum dicentes, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Et in alio libello de tenenda veritate script, Col. 1221. *Vnã Dei prædestinationem tantum dicimus, quæ ad donum pertinet gratiæ, aut retributionem iustitiæ.* Idem sæpius inculcat in lib. de tribus epistol. Sed & S. Augustinus Enchirid. ad Laurentium cap. 100. *Cum Angelica, inquit, & humana creatura peccasset, id est, non quod Deus, sed quod ipsa voluit fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod Creator noluit, impleuit ipse quod voluit, bene vtens: & malis, tanquam summè bonis, ad eorum damnationem, quas iuste prædestinauit ad poenam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gratiam.* Rursum Augustinus lib. 13. de ciuit. cap. 1. de æterna damnatione & poena loquens ait: *Societatem malorum prædestinatum esse, æternum subire supplicium cum diabolo.* Et Anselmus opus. de concord. præscit. & prædestinat. cap. 2. *Prædestinatio, inquit, non solum bonorum est, sed malorum potest dici.* Loquitur autem de his, quæ hominem ad vitam æternam promouent, aut ab ea impediunt, in quantum entia sunt, vt mox ibidem declarat. De qua re plura cit. q. 10. dub. 6.

7 Tertiò accipitur prædestinatio paulò strictius, pro destinatione efficaci hominum vel Angelorum ad bonum aliquod supernaturale, seu quod idem est, pro destinatione alicuius boni supernaturalis in nostram vtilitatem. Ita loquitur S. Paulus 1. Cor. 2. v. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram.*

Quartò accipitur prædestinatio strictissimè, & accommodatè ad hunc locum, pro destinatione efficaci creaturarum intelligentium ad salutem; qua nimirum fit, vt in æternum saluentur. Ita loquitur idem Apostolus Roman. 8. vers. 29. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Atque hoc sensu etiam in præsentia materia, perpetuo quasi loquendi vsu Scholasticorum Doctorum, Prædestinationis vocabulum vsurpatur, pro æterna scilicet & efficaci ordinatione seu destinatione diuina intelligentium, creaturarum, qua fit, vt æternam beatitudinem actu consequantur. Quo sensu etiam ab ipsis absolutè vocantur prædestinati, qui ex decreto Dei salutem æternam re ipsa consequuntur; alij verò qui eam re ipsa non consequuntur; quamuis si-

deles & iusti sint, vocantur reprobi, aut præsciti; nec Deus eos prædestinare hoc sensu dicitur, sed præscire aut reprobare, vt inferius suo loco patebit.

8 Notandum tertio, cum iuxta ea, quæ hæcenus dicta sunt, dicatur Deus hominem, aut Angelum, prædestinare ad aliquid; ita vt omnis prædestinatio sit alicuius ad aliquid, ideo conceptu generali prædestinationis, præter Deum prædestinantem, duo comprehenduntur; videlicet primò obiectum quod prædestinatur; & est ipsa persona creata intelligens, quæ dicitur prædestinari; quare sæpe etiam vocatur subiectum cui; nam & alicui personæ prædestinari, sicut & destinari rectè dici potest, vt loquitur etiam Augustinus lib. de prædestinatione sanct. cap. 17. Secundò res, ad quam fit prædestinatio; qui vocari etiam solet terminus & effectus prædestinationis.

Et obiectum quidem prædestinationis, siue subiectum cui, ex dictis constat esse solam substantiam creatam intelligentem, seu angelicam, seu humanam; vt ex communi rectè docet S. Thomas 1. p. quæst. 23. artic. 1. ad 2. & 3. & de veritate quæst. 6. artic. 1. Quamuis enim persona etiam diuina (puta Verbum seu filius Dei) dici possit aliquo modo prædestinata ad naturam alienam, iuxta cit. loc. 1. Corinth. 2. sicut & res quælibet ad suum finem, seu perfectionem; hic tamen loquendi modus & minus vsitatus est, & alienus à proposito. Loquimur enim de prædestinatione; quæ fit in ordine ad beatitudinem supernaturalem acquirendam; cuius sola substantia creata intelligens capax est, imò principaliter sola persona creata; quamuis etiam natura humana Christi, eo ipso quod ad vniionem cum Verbo prædestinata est, consequenter etiam prædestinata dici possit ad beatitudinem, vt rectè Suarez lib. 1. de prædestinat. cap. 4. numero 8. licet aliqui Thomistæ apud eundem vtrumque negent; Scotus verò in 3. distinct. 7. ad beatitudinem principaliter, ad vniionem verò hypostaticam non nisi consequenter prædestinatam asserat; de quo alibi agendum est.

9 Notandum quartò. Quod ad terminum prædestinationis, de qua loquimur, attinet, non desunt quidem, qui prædestinationem velint esse præordinationem aut solius gloriæ, vt de Ockamo, Gabriele, Rubione, Olorio refert Vasquez disputat. 89. numero 10. & 58. aut solius gratiæ, vt cum Durando in 1. distinct. 41. quæst. 1. sentiunt etiam Vasquez disput. 89. numero 59. & alij quidam recentiores, à Dionysio Carthusiano in 1. distinct. 41. quæst. 1. & Suarez hic tractat. 2. lib. 1. cap. 5. numero 12. refutati: quibus tamen non nihil fauet Augustinus lib. 1. de prædestinatione sanct. cap. 10. vbi ait: *Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ preparatio; gratia verò iam ipsa donatio.* Et infra: *Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratia est preparatio, gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.* Et lib. de bono perseverant. cap. 14. *Prædestinatio sanctorum, inquit, nihil aliud est, quam præsentia & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.* Ad dunt præterea aliqui, prædestinationem & electionem ex parte termini, hoc inter se differre, quod il-

la sit solius gratiæ præordinatio, hæc autem gloriæ. Ita Durandus & Vasquez locis cit. qui etiam pro eadem sententia citat S. Thomam hic quæst. 23. art. 4. & 5.

Sed reuera hæc vocum distinctio, & tam adstricta prædestinationis notio, non solum aduersatur communi & recepto Theologorum loquendi modo, sed nec vllum habet in Scriptura, aut in sanctis Patribus fundamentum; qui sæpissimè electionis ad gratiam, non raro etiam prædestinationis ad gloriam meminerunt. In his Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 9. *Ipsi sunt, inquit, illi prædestinati, & secundum propositum vocati, quorum nullus perit; ac per hoc nullus eorum è bono in malum mutatus, finit hanc vitam; quoniam (per ipsam vtique prædestinationem) sic est ordinatus, & ideo Christo datus, vt non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vbi ad ipsam etiam vitam æternam tanquam terminum refert prædestinationem. Et libro de prædestinatione Sanct. cap. 19. *Vocat nos electos in Christo & prædestinatos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.* Vbi tam electionem, quam prædestinationem refert ad huius vitæ sanctitatem, veluti terminum. Et ibidem cap. 17. *Electi sunt, inquit, ante mundi constitutionem, ea prædestinatione, in qua Deus id quod prædestinauit, impleuit.* Vbi manifestè pro eodem sumit electionem & prædestinationem: alias enim non rectè diceret Deum elegisse prædestinationem. Sed & contra Pelagianos, gratiæ hostes, diligenter vbique S. Augustinus electionem ad gratiam inculcat. Vid. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. Eodem modo loquuntur alij sancti Patres; quibus accedit Scriptura Rom. 8. v. 29. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: quod frustra vel ad solam gratiam, vel ad solam gloriam referunt.*

Idem patet ex illa, quam S. Thomas in 1. distinct. 40. quæst. 1. art. 2. Magistraltem prædestinationis definitionem vocat: *Est preparatio gratiæ in presenti, & gloriæ in futuro.* Et Magister ipse in 1. distinct. 40. lit. A. ait, *prædestinationem de bonis salutaribus esse, & de hominibus saluandis.* Et infra lit. D. prædestinationem vocat, *& gratiæ preparationem, & diuinam electionem, quæ elegit, quos voluit.* Et paulò post ait, effectum prædestinationis illam gratiam esse, *qua in presenti iustificamur, atque ad rectè viuendum, & in bono perseverandum adiutamur, & illam quæ in futuro beatificamur, &c.* Eodem modo S. Thomas hic quæst. 23. artic. 1. ad 3. & quæst. 24. art. 2. & passim alibi prædestinationis ad vitam æternam meminit: vt plane firmum esse debeat, prædestinationem pro termino habere non solam gratiam, seu media ad gloriam, sed etiam ipsam gloriam; ita tamen vt pro ratione subiectæ materiæ, modo solius gloriæ, modo solius medijs, sæpe etiam vtriusque accommodetur. Quod pariter etiam de electione dicendum est, quæ tamen an & quo alio modo à prædestinatione differat, dubio tertio declarandum est.

Nec obsat, quod S. Augustinus & S. Thomas locis superius obiectis, vt & alij quandoque Patres, de prædestinatione loquentes, solius gratiæ aliquando meminerunt; id enim ideo factum est, quod vel iuxta Scripturam Roman. 6. ipsam etiam gloriam pro

gratia habuerunt, quia ex gratia ortum habet, ut suo loco declarabitur; vel quia inadæquatè de prædestinationis aut electionis termino locuti sunt; ita tamen, ut dum vnum exprimerent, alterum non excluderent, multò minus negarent. Plura de hac re, quæst. seq. dub. 1.

12 Notandum quintò, ex his omnibus facillè colligi verum, absolutum, & adæquatum conceptum prædestinationis, huic loco accommodatum; nempe quod sit æterna Dei ordinatio, siue decretum, adeoque internus quidam actus mentis diuinæ, quo homines vel Angelos efficaciter destinat non solum ad gratiam, sed etiam ad gloriam reipla consequendam.

Et sit quidem de hac prædestinatione diuina, seu potius de prædestinatis sæpe in Scriptura, & apud Ecclesiasticos Scriptores sub alijs nominibus mentio, ut sub nomine *preparandi*, vel *parandi*, *Possidete paratum vobis regnum*, Matth. 25. vers. 34. *Creatus in Christo IESU, in operibus bonis, quæ preparauit Deus, ut in illis ambulemus*, Ephes. 2. vers. 10. sub nomine *placiti diuini*. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante. Matth. 11. vers. 26. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. Luc. 12. vers. 32. Sub nomine *dilectionis* iuxta illud, *Iacob dilexi, Esau autem odii habui*, Malach. 1. vers. 3. & Roman. 9. vers. 13. ut interpretatur S. Thomas hic quæst. 23. artic. 3. argum. *Sed contra*. Item sub nomine *Electiois*, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, Matth. 20. vers. 16. & cap. 22. vers. 14. *Propter Electos breuiabitur dies*, Matth. 24. vers. 22. Marci 13. vers. 20. *Elegit nos in ipso*. Ephes. 1. vers. 4. *Præsecundum electionem præpositum Dei maneret*. Roman. 9. vers. 11. & alibi passim. Item sub nomine *propofiti*, *Reputatur fides eius ad iustitiam, secundum præpositum gratiæ Dei*, Roman. 4. vers. 5. *Qui secundum præpositum vocati sunt sancti*, Roman. 8. vers. 18. & alibi sapius. Item sub nomine *præscientiæ*, *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*, Roman. 11. vers. 2. *Quos præsciuit & prædestinauit*, Roman. 8. vers. 29. Sub nomine *præordinationis*, *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Act. 13. v. 48.

13 Sed quamquam ut dictum sub nomine *Præparationis*, *Placiti*, *Dilectionis*, *Electiois*, *Propofiti*, *Præscientiæ*, *Præordinationis*, pro ratione subiectæ materiæ, diuinæ Prædestinationis ad gratiam & gloriam, nonnunquam in Scripturis fiat mentio, non tamen propterea hæc omnia inter se, aut cum prædestinatione hac, de qua loquimur, sunt synonyma aut æquipollentia; imò nec absolutè conuertibilia; quia Præscientia, ex vi vocis, & vsu Scripturæ, ac SS. Patrum, etiam peccatis conuenit, & reprobis, imò iam vsu Scholasticorum hi soli absolutè & sine addito vocantur præsciti, ut quæstione 6 dicitur. *Dilectio* quoque *Electio*, & *Prædestinatio* à S. Thoma hic quæst. 23. artic. 3. aperte inter se distinguuntur, ita ut quamuis in ordine ad æternam beatitudinem reipsa consequendam, inter se conuertantur, non tamen sint synonyma, aut æquipollentia. Siquidem & aliarum rerum, multa inter se nomina conuertuntur, quæ tamen minimè sunt synonyma aut æquipollentia. De Deo enim conuertibiliter dicitur, quod sit omnipotens, quod omniscius, quod infinitus, quod Ens

primum, quod Creator, quod Redemptor, de Christo, quod sit Dei filius, quod sit Virginis filius, quod sit Mariæ filius; de homine, quod sit rationalis, quod admiratiuus, quod risibilis; & tamen termini isti non sunt ideo synonymi inter se, aut æquipollentes. Sed & paratus à Deo etiam dicitur ignis æternus diabolo; & placere Deo, ac diligi à Deo, quicquid ipse fecit; præordinare item omnia quæ facit: non tamen simpliciter prædestinare, eo sensu, quo hic de prædestinatione loquimur.

Solum vocabulum *Electus*, absolutè positum, 14. eum voce Prædestinatus, communi vsu Scripturæ, & Ecclesiasticorum Scriptorum, ac Doctorum, Scholasticorum, ad conuertentiam dicitur; ita ut omnes & soli electi (qui nimirum simpliciter à Deo electi dicuntur) sint etiam prædestinati, & contra: attamen in cæteris vocibus, ut de prædestinatione aut prædestinatis intelligantur, aliquid ferè declarationis addendum est: esto interim decretum, prædestinationis quasi per antonomasiam & excellentiam absolutè quandoque in Scripturis vocetur Bona voluntas Dei, Beneplacitum eius, Dilectio, Electio, & Propositum, ut notauit Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 8. num. 1.

Et hæc satis de nomine Prædestinationis: de qua illud etiam cum Ecclesia Lugdunensi lib. aduersus Ioannem Scotum Eriegenam initio Col. 1063. quasi fundamenti loco constituere libet: *Veritatem æterni iudicij & ordinationis Dei, quæ vocabulo Prædestinationis exprimitur, non esse requirendam à Philosophis, sed ab Apostolis & Prophetis Dei: nec in mundana doctrinæ quadrans, sed in vna & vera via, quæ dicit de semetipsa: Ego sum via, veritas, & vita. Ad quam nos Beatus Hieremias Propheta hortatur & inuitat, dicens: Sate super vias, & videte, & interrogate de semitis anti quis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.*

15 Ex quibus denique etiam facillè colligitur, quod ad quæstionem An est, pertinet, & à S. Thoma hic quæst. 23. artic. 1. ex instituto probatur, esse in Deo prædestinationem, ut ex Scripturis adductis patet. Ratio S. Thomæ est. Quia cum creaturæ intelligenti à Deo præfixus & præpositus sit finis supernaturalis æternæ beatitudinis & visionis Dei, ad quam ex viribus naturæ peruenire creatura non potest, necesse est, ut à Deo eò perducatur & quasi transmittatur; sicut sagitta à iaculante transmittitur ad scopum, ad quem viribus suæ naturæ peruenire non potest; id autem fieri non potest, nisi Deus, cum sit agens intellectuale, ab æterno habeat & concipiat in se rationem eiusmodi transmissionis; quæ est ipsa prædestinatio, ut dictum. Ergo, &c. Quæ ratio cum procedat ex aliquo principio fidei: siquidem per solam fidem cognoscimus, hominem ordinatum ad eiusmodi finem supernaturalem, ut etiam de visione Dei dictum; reddit conclusionem non quidem euidentem; sicut nec vlla ratione naturali euidenter probari potest; sed certam tamen ex fide: cum tamen simul ex Scriptura immediatè longe clarius innotescat, ut patebit.

DVBIUM II.

Quidnam essentialiter & formaliter sit Prædestinatio; actusne voluntatis an intellectus; & qualis.

S. Thom. I. p. q. 23. a. 2. & 4.

I Constat quidem ex dubio præcedente, quantum ad quid nominis attinet, prædestinationis vocabulo in præsentī significari, æternum quoddam Dei decretum, siue præordinationem, seu qualem qualem actum internum mentis diuinæ, quo Deus creaturas intelligentes ab æterno destinat ad gratiam & gloriam consequendam: qua ratione etiam S. Thomas hic quæst. 23. artic. 2. ait, prædestinationem non esse aliquid in prædestinatis, sed in prædestinante tantum: sed quidnam essentialiter & formaliter sit ipsa prædestinatio, nondum constat; sed bifariam controuertitur: primò an formaliter & essentialiter sit actus voluntatis, an intellectus, vel vterque; secundò qualis sit actus intellectus; an is qui dici solet Imperium, an scientia visionis; an alius actus: quæ nos sequentibus assertionibus ita distinctè explicamus.

2 Assertio I. Prædestinatio non solum supponit mente diuina varios actus intellectus, ac voluntatis; sed aliquo modo etiam vtriusque, & intellectus & voluntatis actum complectitur ac inuoluit. Hæc assertio sumitur ex S. Thom. hic quæst. 23. art. 4. & est certa & extra controuersiam. Probatur & declaratur. Nam vt colligitur ex ijs, quæ supra disp. 2. quæst. 8. & quæst. 10. de varijs actibus intellectus & voluntatis diuinæ diximus, septem actus diuinæ mentis ad præsens institutum, distingui possunt, qui omnes versantur circa creaturam intelligentem ad supernaturalem beatitudinem perducendam. Primus est scientia quædam specularia simplicis Intelligentiæ, de creatura intelligente secundum Esse possibile; & capacitate eius obedientiali, per quam perducipotest ad finem supernaturalem. Secundus est actus seu affectus voluntatis simplicis cuiusdam complacentiæ, de eodem obiecto ab intellectu præcognito. Tertius est scientia conditionata seu media de ijs rebus, quas creaturæ intelligentes in ordine ad eundem finem supernaturalem operaturæ essent, si in ordine ad eundem finem, cum talibus vel talibus circumstantijs crearentur, aut his vel illis medijs ac modis præuenirentur & iuuarentur: sine qua quidem scientia non possunt tales creaturæ infallibiliter simul & liberè perducī ad beatitudinem, vt dictum supra disp. 2. quæst. 8. dub. 5. & quæst. 10. dub. 8. & fusè persequitur hic Suarez lib. 1. de prædestinat. cap. 7. Ratio ibidem à nobis adducta breuiter est: quia cum prædestinatio diuina sit efficax & infallibilis causa eius effectus, prædestinati, necesse est vt in eius executione efficax & infallibile medium ad eundem effectum consequendum adhibeatur: at vero seclusa scientia conditionata futurorum efficax & infallibile medium esse nullum potest, quod non per se & natura sua infallibiliter ac physice, consen-

sum hominis secum trahat sublata libertate vt ibid. pluribus diximus. Quartus est voluntas simplicis complacentiæ de iisdem operationibus bonis, atque ad supernaturalem finem consequendum accommodatis, sub prædicta conditione futuris, & per scientiam conditionatam præuisis. Quintus est scientia practica de creaturis intelligentibus ad finem supernaturalem creandis, & perducendis ad eundem finem per certa media. Sextus est decretum efficax voluntatis non solum approbans tale iudicium, sed etiam rem ipsam, siue obiectum, à quo iudicium illud terminatur; ita vt voluntas efficaciter velit, ac decernat, id ipsum suo tempore esse ac fieri, quod ita cognitum est.

Quæ quidem voluntas pro varietate & diuersitate obiectorum, rursum tres actus voluntatis ratione distinctos complectitur, videlicet intentionem finis, seu ipsius gloriæ, electionem mediorum, & vsum seu voluntatem executiuam, & quasi applicatiuam ipsius potentiæ executiuæ (quam supponimus etiam in Deo ratione distinctam esse ab intellectu & voluntate ex dictis disputatione præcedenti quæst. 11. dub. 2.) ad opus; etsi quidam dum potentiam executiuam in Deo, negant, ratione distinctam esse ab intellectu & voluntate, consequenter etiam negent eum actum voluntatis, qui vltus dicitur, in ipso à cæteris actibus ratione distinctum esse. Septimus actus est scientia visionis, quo Deus secundum rationem nostram, statim post quemlibet actum liberum & efficacem voluntatis, absolute nouit obiectum illud, seu finem concernat, siue media, re ipsa suo tempore futurum, quod per eundem illum liberum & efficacem actum voluntatis approbatum & decretum est, vt fiat. Quæ omnia bene etiam notauit Suarez hic lib. 1. de prædestinat. cap. 14. & 16. Addunt nonnulli actum Imperij; in quo solo prædestinationem formaliter esse constitutam existimant: sed quem actum in Deo non omnes agnoscunt, vt dicemus.

Ex commemoratis autem, qui necessario admittendi sunt, septem actibus diuinæ mentis; certum in primis est, quatuor illos priores actus supponi quidem à diuina prædestinatione; quemadmodum etiam respectu cuiuslibet obiecti creati futuri, à scientia & voluntate diuina, quæ est causa rerum, supponi diximus superius disputatione 2. quæstione 8. dub. 9. & quæst. 10. dub. 5. at verò non minus etiam constat, in ijs, aut eorum aliquo prædestinationem formaliter non consistere: non solum quia prædestinatio libera est, actus autem illi in Deo sunt necessarij, ita vt nullum liberum decretum absolutum diuinæ voluntatis supponant vel includant; sed etiam quia ex vltorum actuum præcisè nihil ad extra efficitur. Quo etiam sensu Doctores communiter absolute docent, scientiam simplicis intelligentiæ (nimirum secundum se præcisè spectatam) supponi ad prædestinationem.

Nihilominus tamen prædestinationem necessariò ac essentialiter aliquo modo, siue in recto, siue in obliquo, comprehendere seu inuoluere & intellectus, & voluntatis actum, vt in secunda parte assertionis diximus, ex eo perspicuum est, quia prædestinatio diuina est actus quidam internus,

diui-

diuina mentis hominem efficaciter ordinans & perducens ad æternam beatitudinem ex dictis præcedentibus. Ergo actus aliquis diuine mentis, qui sit efficax causa rerum; at verò causa rerum nec est intellectus diuinus, siue scientia De i fine voluntatis; nec voluntas sine intellectu, ex dictis disputat. 2. quæst. 8. & 10. Ergo Prædestinatio necessario vtriusque & voluntatis & intellectus actum aliquo modo complectitur & inuoluit: siue in recto vtriusque, siue vnum solummodo in recto complectatur, alteram verò in obliquo connotet; de quo inferius dicemus, postquam prius explicauerimus, quoniam sit actus illi intellectus aut voluntatis, in quorum vno vel vtroque Prædestinatio essentialiter consistit.

5 Assertio II. Prædestinatio non consistit in actu, quem vocant Imperij, quocumque demum modo hic actus explicetur. Ita docent Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 16. Molina hic quæst. 23. artic. 2. d. 2. & Vasquez disp. 81. num. 9. & disp. 87. num. 13. post Alencem, Durandum, & Marfilium inferius citandos: contra Capreolum in 1. d. 40. quæst. 1. art. 1. & 2. Caetanum hic q. 22. art. 1. & quæst. 23. articulo 1. qui tam Providentiam diuinam in genere, quam prædestinationem formaliter constitutam esse docent in actu Imperij, dilectionem seu electionem ad gloriam subsequente. Cui sententiæ non parum fauet Sanctus Thomas de Veritat. quæstion. 6. articulo primo, ubi dicit, ad prædestinationem supponi dilectionem & electionem eius, qui prædestinatus est. Et ad 4. ibidem ait, Prædestinationem addere ad scientiam dilectionem vel ordinationem in finem. Et hic quæstion. 23. articulo quarto, ait: Prædestinatio est pars Providentiæ: Providentiæ autem siue & Providentiæ est ratio in intellectu existens præceptiua ordinationis aliquorum in finem. Et in 2. 2. quæst. 47. articulo octavo, & quæstion. 57. per totam, & quæstion. 57. articulo sexto. plura in hunc sensum de eodem actu Imperij disserit. Eandem proinde sententiam communiter tradunt Thomista recentiores; & videtur etiam sequi Bellarminus lib. secundo, de grat. & lib. arbitrii. cap. 16. Fundamentum præcipuum est: quia alij actus intellectus aut non sunt liberi, aut non sunt causa efficax rerum: prædestinatio autem actus liber est, & simul efficax causa rerum: ut fatentur omnes.

6 Sed verius est, Prædestinationem in eiusmodi actu Imperij non consistere, & etiam de Providentiâ generatim quæstione præcedent. dictum. Quod priusquam probetur, aduertendum est ex 1. 2. eum actum Imperij ad præfens institutum tripliciter posse explicari, supponendo, ut cum Sancto Thoma communis habet sententiâ, actum illum esse intellectus. Primum vti is actus non sit vllum iudicium, nec vlla cognitio intellectus, sed solum informatio quadam seu intimatio facta aut ipsi voluntati diuina, aut potentia executiua de eligendis vel exequendis medijs, quibus electi infallibiliter perducantur ad beatitudinem. Et hoc modo ac sensu de Imperio loquitur Thomista citatus.

Secundo ita explicari potest, ut sit iudicium aliquod intellectus diuini, mediocum electionem antecedens, quo ex varijs medijs occurrentibus, quibus homo perducere potest ad beatitudinem, vnum tantum, seu plura certa ac determinata media assumenda statuantur, ac voluntati ita efficaciter intimantur, ut voluntas ad hæc ipsa & non alia eligenda prædeterminetur: cuiusmodi Imperij notioni fauet etiam nonnulli Sæctus Thomas 1. 2. quæst. 17. artic. 5. & 6. Tertio ut sit iudicium quoddam, seu quicumque demum actus intellectus, non solum dilectionem & electionem ad gloriam, sed etiam mediocum, quibus homo ad eam perducendus est, electionem subsequens, & solum mediocum iam ante delectationem executionem, mediante alio actu voluntatis, qui vsus dicitur, potentia executiua imperans. Quo modo de Imperio, velut peculiari quodam actu humano loquitur Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 3. ad 1.

7 Iam verò Prædestinationem non esse actum Imperij primo modo explicatum, probatur. Tum quia nullus datur actus intellectus possibilis, qui non sit cognitio, & vel prima, vel secunda, vel tertia operatio intellectus: quandoquidem obiectum eius adequatum est verum, ut ex philosophia & Aristotele lib. primo de Interpret. cap. 1. suppono. Tum quia nulla est actus eiusmodi constituendi necessitas, aut ratio, quibus de causis verius est, eiusmodi actum Imperij nec in homine quidem habere locum, ut docet tom. 2. q. 3. dub. 3.

8 Secundo Prædestinationem etiam non esse actum Imperij, prout is dicit iudicium necessario præfens electioni mediocum, atque ad huiusmodi actum voluntatem efficaciter præmouens ac prædeterminans, ex eo probatur. Quia aut actus ille Imperij prædeterminans, ut dictum, voluntatem ad electionem, est etiam liberè voluntarius, aut non: si non, ergo tollitur libertas electionis subsequens, ad quam voluntas antecederet & intrinsecè prædeterminatur. Sed nec liberè voluntarium esse dici potest. Tum quia, hac ratione dici non potest, antecedere electionem, cum ex libera potius electione proficiscatur, quandoquidem non potest dici voluntarius, nisi per eum actum, quo voluntas voluerit vnum vel plura certa solummodo media sibi efficaciter ab intellectu intimari, que voluntas aut est, aut supponit electionem mediocum. Tum quia si est voluntarius antecedente voluntate, tunc ad eum rursus præcedet & prærequiritur alius actus Imperij, & ad hunc rursus alius actus voluntatis, & sic dabitur processus in infinitum, de qua re plura in prima & secunda loco citat.

9 Tertio, Prædestinationem non consistere in actu Imperij, subsequente tam intentionem finis, quam electionem mediocum, quibus perducendus est prædestinatus ad beatitudinem, & imperante solum potentia executiua mediante actu voluntatis, qui vsus dicitur, executionem mediocum electorum ad finem desil-

natum consequendum, quomodocunq; is actus explicetur; Probatur contra Thomistas ita sentientes, apud Vasquez hic disput. 87. cap. 2. Quia etsi non negauerim, hunc actum ratione ab alijs distinctam (vbi tamen negat Vasquez disput. 81. numero 9.) etiam in Deo locum habere, cum nullam imperfectionem inuoluat; & in eo etiam antea admiserimus vsus, qui est actus voluntatis, itidem ad executiuam potentiam mouendam ordinatus; non tamen in eo consistere villo modo potest Prædestinatio. Quia Prædestinatio consistit in ordinatione efficaci hominis ad æternam beatitudinem per certa media reipsa consequendam; ex dictis dub. præced. at verò actus ille Imperij, de quo loquimur, eo ipso quod supponit in Deo & intentionem beatitudinis homini conferenda, & electionem mediatorum, quibus ad beatitudinem perducendus est, supponit vtiq; hominem iam antea ad æternam beatitudinem per certa media reipsa consequendam efficaciter ordinatum: Ergo Prædestinatio nullo modo, nec adæquatè, nec inadæquatè consistit in illo actu Imperij, quem diximus; sed hic actus Imperij potius consequenter se habet ad Prædestinationem, eamque secundum rationem supponit; non secus ac ipsa executio mediatorum; quomodocunq; alioqui is actus explicetur. Omitto quod Vasquez in 1. 2. d. 49. c. 4. distinctum actum Imperij etiam in hominibus absolute & vniuersim negat sed contra communem Aristotelis 6. Eth. capit. 10. & 12. & Sancti Thomæ citat. 1. 2. quæst. 17. art. 1. & 2. 2. q. 83. art. 1. de quo alibi. Ad fundamentum autem oppositæ sententiæ inferius patebit responsio.

9 Assertio III. Prædestinatio itidem nec adæquatè, nec inadæquatè consistit in scientia visionis, seu præscientiæ absolutæ mediatorum & finis Est contra Gregorium de Valentia hic q. 23. pun. 2. qui omisso illo Imperij actu, docet, Prædestinationem formaliter consistere in alio quodam actu intellectus, qui sit præscientiæ mediatorum & finis, vt est practica & efficax respectu illorum, adiuncta diuina voluntate; siue qui sit actus præscientiæ ad scientiam visionis pertinet, quo Deus ab æterno nouit, Petrum v. g. per hæc vel illa media supernaturalia consecuturum beatitudinem. Supponit enim, quod iam superius docuerat, scientiæ visionis esse causam rerum. Sed nos contrarium tanquam multò verius supponimus ex disp. 2. q. 8. dub. 10. Vnde etiã probatur assertio. Quia scientiæ visionis non est causa rerum; sed supponit suū obiectum aut existens, aut iam aliunde futurum: Ergo etiam in præsentia, iam ante præscientiam illam, supponitur Petrus à Deo efficaciter ordinat⁹ ad beatitudinem per certa media consequendam, priusquã cognoscatur consecuturus beatitudinē: ac proinde Præscientiæ illa Prædestinationem iam antea factam supponit, & est eã secundum rationem plane posterior: Ergò impossibile est, vt Prædestinatio in illa essentialiter villo modo sit constituta. Neque S. Thomas hic, licet à Gregorio de Valentia citatus, vsipiam docuit contrarium.

10 Assertio IV. Prædestinatio essentialiter comprehendit tum iudicium practicum, siue scien-

tiam approbationis tam de beatitudine homini reipsa conferenda, quam de medijs certis, quib⁹ ad eam infallibiliter perducendus est; tum voluntatem, eundem hominem per hæc eadem media infallibiliter ac reipsa perducendi ad beatitudinem. Hæc assertio, abstrahendo à termino Prædestinationis, adeoque generatim accepta, videtur certa & fere extra controuersiam. Nemo enim negat Prædestinationem necessario & essentialiter aliquo modo (siue in recto, siue in obliquo) inuoluere vtrumque illud actum tum intellectus, tum voluntatis: solummodo est quæstio, quidnam sit scientia illa approbationis, seu iudicij practicum; & an tam voluntas seu præordinatio ipsius beatitudinis, quam destinatio mediatorum ad Prædestinationem intrinsicè pertineat; de quo iam affirmatiuum sententiam supponimus ex dub. præced. Excipio tamen Thomistas recentiores, qui etsi negare non possint, ad Prædestinationem necessariò requiri iudicium eiusmodi practicum, seu scientiam approbationis, dicunt tamen Prædestinationem in ea essentialiter constitutam non esse, sed in actu Imperij, quod assertione secunda refutauim⁹.

Probatur assertio ex scriptura. Ephes. 1. v. 11. *Prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius. &c.* Vbi ad explicandam, prædestinationem, consilium intellectus diuini cum proposito voluntatis coniungitur. Ratio assertionis est. Quia Prædestinatio est actus mentis diuinæ, qui est causa hominem efficaciter perducens ad beatitudinem: sed omnis eiusmodi actus mentis diuinæ, qui est causa efficax rerum, necessario & essentialiter aliquo modo, siue in recto, siue in obliquo, inuoluit iudicium eiusmodi practicum de effectu subsecuturo; tum voluntatem, qua iudicium illud eiusque obiectum efficaciter approbetur; quaque adeo Deus absolute velit, obiectum illud esse aut fieri, quandoquidem Deus est causa rerum per intellectum ac voluntatem suam, vt constat ex disput. præcedent. quæstio. 8. dub. 10. & q. 10. dub. 4. Et confirmatur assertio; quia his duobus actibus positis, homo primùm est ordinatus efficaciter ad beatitudinem per certa media infallibiliter consequendam; vtroque autem, aut alterutro non posito, nondum est ita ad beatitudinem ordinatus: Ergo signum est, Prædestinationem vtrumque actum essentialiter aliquo modo inuoluere.

12 Assertio V. Prædestinatio essentialiter & in recto non est actus voluntatis, aut aliquid compositum ex actu voluntatis & intellectus, sed solum actus intellectus, siue practicum illud iudicium, & scientia approbationis, in obliquo connotans actum illum voluntatis; de quibus assert. præced. dictum.

Aduertendum, tamen, vt antea dictum, omnes Doctores consentiant, Prædestinationem vtriusq; potentie actum aliquo modo inuoluere vel connotare, dissentiant tamē in eo, an formaliter & in recto sit act⁹ intellectus an voluntatis, an potius aliquid quasi conflat⁹ ex vtroq;. Primò enim multi

fenti-

sentiant, formaliter & in recto esse actum voluntatis. Ita Bonaventura in 1. d. 40. art. 1. quæst. 2. Scotus quæst. 1. Ariminenfis quæst. 1. art. 1. Aureolus d. 40. quæst. 1. art. 1. Eckius in Chrytopasfo cent. 1. art. 1. num. 18. quos sequitur Vasquez hic disp. 87. cap. 3. qui pro eadem sententia citat, etiam Henricum, Ockamum, Almainum, & Angestum. Idem docet Ecclesia Lugdunensis lib. contra Scotum Erigenam pag. 1071. *In eo nobis placet, inquit, quia voluntatem Dei dixit Prædestinationem DEI. Quid est enim aliud prædestinatio DEI, quam æterna & immutabilis voluntas Dei ad opera sua?* &c. Fauet etiam præter Damascenum quæst. præced. dub. 1. relatum S. Augustinus lib. 1. de prædestinat. sanct. cap. 10. ubi Prædestinationem definit *gratia præparationem*; quasi dicat, propositum Dei gratiam præparans. Fauet etiam scriptura, quando de Prædestinatione loquitur sub nomine Beneplaciti diuini; item dilectionis, electionis, & propositi diuini, vt dictum dub. 1.

13 Secundò verò nonnulli docent, Prædestinationem vtrumque actum intrinsecè & in recto includere. Ita videtur sentire Molina hic q. 23. art. 2. disput. 2. qui licet asserat, Prædestinationem præcipue significare actum intellectus, addit tamen, prædestinationem *vtrumque actum coniuunctum significare*; adeoque actum intellectus coniuunctum cum actu voluntatis, per quam completur. Et infra: *Qua ratione, inquit, à multis dicitur Prædestinatio significare actum intellectus, & innuere actum voluntatis. Quod non sic accipiendum est, quasi eum intrinsecè non includat, &c.* Quo spectant etiam illi, qui modo vnus potentia, modò alterius actum, nomine Prædestinationis potius ac magis principaliter significari censent. Ita nonnulli, quos refert ac fere sequitur Suarez lib. 1. de prædest. cap. 17. num. 12.

14 Sed in questione nominis magis probatur tertia sententia, in assertionem explicata, quam tradunt imprimis Sanctus Thomas hic quæst. 23. a. 1. ubi ait, prædestinationem esse *rationem in DEO existentem, transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* Et ibidem addit, Prædestinationem, quantum ad obiecta, esse *quandam partem providentiæ.* Eodem modo articulo 2. Prædestinatio, inquit, est *quandam pars providentiæ.* Providentiæ autem non est in rebus prouisis, sed est *quandam ratio in intellectu prouisoris.* Et addit: Prædestinatio est *quandam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente diuina existens.* Et ibidem ad 3. ait: *Duplex est præparatio. Quædam patientis vt patitur: & hæc præparatio est in præparatio. Quædam alia est agentis, vt agit, & hæc est in agente. Et talis præparatio est prædestinatio, prout aliquod agens per intellectum dicitur se præparare ad agendum, in quantum præconcepit rationem operis fieri.* Et sic DEVS ab æterno præparauit, prædestinando concipiens rationem ordinis aliquorum in salutem. Et rursus ibidem articulo 3. Prædestinatio, inquit, est *pars providentiæ.* Providentiæ autem, sicut & prudentiæ, est *ratio in intellectu existens, præceptiua ordinationis aliquorum in finem.* Et similia habet passim alibi, speciatim de Veritat. quæst. 6. articulo 1. Eundem sequitur Caietanus, & omnes Thomistæ recentiores hic articulo 1. &

Gregorius de Valentia punct. 2. Idem docent, Alensis 1. p. quæst. 28. memb. 1. art. 2. Richardus in 1. dist. 40. articulo 1. quæstion. 1. Durandus in 1. d. 41. q. 1. n. 9. Capreolus dist. 40. q. 1. a. 1. & 2.

Idem significat Scriptura Rom. 8. vers. 29. *Nam quos præsciuit, & prædestinavit, &c.* Rom. 11. vers. 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit, hoc est, prædestinavit, vt mox ex Sancto Augustinò referemus.* Act. 13. vers. 48. *Crediderunt, quotquot erant præordinati (hoc est, prædestinati) ad vitam æternam.* Ordinare enim rationis est.

Idem significant SS. Patres. Rectè ex S. Augustino lib. de bon. perseuer. cap. 18. Ecclesia Lugdunensis lib. aduersus Ioannem Erigenam, Scotum, pag. 1066. auctor. Patrum ait: [Tamen aliquando ipsam Prædestinationem, quæ nunquam sine præscientia est, etiam nomine præscientiæ significari, idem Doctor Augustinus ita ostendit, dicens: Aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ; sicut ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. Hic quod ait Præsciuit, non rectè intelligitur, nisi prædestinavit. Quod circumstantia ipsius lectionis ostendit. Loquebatur enim de reliquijs Iudæorum, quæ saluæ factæ sunt, peruentibus cæteris, &c. Et mox infra inquit sanctus Augustinus: Quod quærebat Israël hoc non est consecutus: electio autem consecuta est, cæteri verò excecati sunt. In hac ergo electione, & in his reliquijs, quæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præsciuit, &c. Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit, prædestinationem significare voluisse. Præsciuit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus. Hoc est ergo prædestinavit. sine dubio enim præsciuit, si prædestinavit: sed prædestinasse, est hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus.

Et rursus Augustinus lib. de bono perseuerant. c. 14. ait: *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quàm Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumq; liberantur.*

Et B. Fulgentius lib. 1. ad Monim. in fin. ex S. Augustino: *Prædestinatio est, quæ sine præscientia nõ potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus.* Ratio assertionis est. Quia Prædestinatio pars quædam est providentiæ, vt inferius dicitur: prouidere autem in recto est actus intellectus, cõnotans actum voluntatis, vt quæst. præced. dub. 1. diximus. Idem significat ipsum nomen prædestinationis, quod præordinationem significat, iuxta S. Thomam in cap. 8. Rom. lect. 6.

17 Nec obstat, quod aliquando Scriptura & SS. Patres Prædestinationem quandoque expriment per actum voluntatis. Hoc enim non ideo fit, quod prædestinatio formaliter & in recto sit actus voluntatis; sed tum quia eo quasi extrinsecè efficiente & denominante, actum illum intellectus, in quo essentialiter & in recto consistit prædestinatio, hæc ipsa quodammodo consummatur, vt inferius patebit. Tum quia is ipse

actus voluntatis non est absque actu intellectus, qui in recto est ipsa prædestinatio. Tum quia denique saltem in effectu idem est electio voluntatis ad gloriam per certa media, cum prædestinatione seu præordinatione intellectus ad eundem terminum. Addit Molina loc. cit. non ipsam prædestinationem in scripturis vocari Electionem, & Dilectionem; sed prædestinatos vocari electos, dilectos, ipsisque adeo electionem & dilectionem tribui: ex quo tamen non sequitur, Prædestinationem esse dilectionem vel electionem.

18 Assertio VI. Prædictum illud iudicium, siue scientia approbationis, quam dicimus esse prædestinationem, pertinet quidem ad scientiam simplicis intelligentiæ, velut quidam eius actus; sed non est tamen ipsa scientia simplicis intelligentiæ, secundum se nude spectata, etiam in quantum practica est; sed quatenus iam est à libero decreto voluntatis determinata & approbata: qua ratione etiam Prædestinatio ipsa in Deo simpliciter libera est. Ita sentiunt Alensis prima part. quæstio. 28. memb. 1. articulo 2. Durandus in 1. disp. 41. quæst. 1. Marsilius in 1. qu. 41. articulo. 1. qui expresse docent, Prouidentiam seu prædestinationem esse actum intellectus, qui præcedit voluntatem, & dicitur seu proponit, quæ voluntas debet decernere, atque communiter iudicium appellatur, vt bene etiam notauit Vasquez disput. 87. capit. 2. Idem docent Molina & Suarez locis cit.

Ratio sumitur ex dictis supra disp. 2. quæst. 8. dub. 10. vbi docuimus, scientiam illam, quæ est causa rerum, non esse scientiam visionis, sed scientiam simplicis intelligentiæ practicam, non quidem secundum se nude spectatam, sed prout à libero diuinæ voluntatis decreto est approbata; à quo etiam scientia approbationis dicitur. Cum ergo Prædestinatio diuina, talis Dei scientia sit, quæ est causa rerum, vt ex dictis liquet, necessario spectat ad scientiam simplicis Intelligentiæ; nec tamen est ipsa scientia simplicis Intelligentiæ secundum se nude spectata, etiam in quantum practica est; quia talis esse potest, etiam si nunquam in actum secundum, siue ad opus deducatur, vt ibidem diximus; sed quatenus iam est à libero decreto diuinæ voluntatis determinata & approbata. Quo ipso etiam illa, non quidem secundum se præcise spectata, sed ratione eiusmodi determinationis & denominationis, quam à libera Dei voluntate habet, & sine qua rationem prædestinationis minimè habet, rectè libera dicitur, vt ibidem explicauimus.

19 Qua ratione etiam tum scientia approbationis vniuersim, tum ipsa prædestinatio non antecedit liberum decretum voluntatis, sed hoc velut in obliquo connotans, & ab eo denominationem habens, vt formam extrinsecè denominantem supponit. Atque hoc sensu admitti potest, quod quidam Doctores subinde asserunt, scientiam necessariam, siue simplicis intelligentiæ, non esse prædestinationem, sed supponi à prædestinatione, vt videre est apud Suarez lib. 1. de prædestinationat. capit. 6. numero 5. Reuera enim ratio præ-

destinationis ei ratione posterius, quam ipsa sit, aduenit, atque accedente primum libero illo Dei decreto superadditur.

20 Assertio VII. Prædestinatio, præter scientiam illam approbationis, connotantem actum voluntatis, non requirit, quantum ad suam essentiam, plures alios actus subsequentes: esto hi ad quandam eius perfectionem, atque etiam executionem pertineant. Hanc assertionem constituo propter doctrinam quandam Suariz lib. 1. de prædestinatione capit. 17. num. 14. vbi ait: *si prædestinatio ponatur in intellectu, tum eam collocandam esse in iudicio practico de medijs (adde, etiam de fine ex dub. 1.) per qua homo electus à DEO ad gloriam perducendus est infallibiliter ad illam, vt approbatio acceptato per voluntatem, atque adeo vt includente etiam scientiam illam approbationis voluntatis: vt isto modo scientia illa approbationis non tantum denominationem ab actu voluntatis, sed etiam aliquid intellectus superaddat ultra scientiam antecedentem ad illam voluntatem.* Quibus verbis indicat, ipsam quoque scientiam liberam liberæ approbationis seu voluntatis Dei, ad prædestinationem in obliquo spectantis, vt dictum, intrinsecè, essentialiter, & in recto ad prædestinationem spectare. Et ibidem num. 14. addit: *si prædestinatio tribuatur voluntati, illam ponendam esse in tota preparatione gratiæ & gloriæ, qua intelligitur in Deo, à primo decreto electionis ad gloriam, usque ad omnem voluntatem medijs, & vltimi effectus, qua est ipsa gloria, vt executioni mandanda.* Vbi indicat voluntatem quoque illam Dei, qui vsus dicitur, & potentiam executiuam immediatè applicat ad executionem decretæ prædestinationis, pertinere ad essentiam prædestinationis, si hæc in voluntate constituitur. Ex quo adiungendo prius illud dictum Suarez ex eius mente colligitur, ipsam quoque scientiam liberam eiusdem vsus, ad rationem prædestinationis pertinere.

21 Sed verius videtur id, quod in assertione dictum est, neque scientiam liberam voluntatis, vt ita dicam, prædestinantis, neque ipsius etiam vsus, ac proinde nec ipsum etiam vsum, ne in obliquo quidem spectare ad essentiam prædestinationis: sed scientiam quidem voluntatis decernentis homini gloriam & gratiam, spectare ad quandam prædestinationis perfectionem; vsum autem ipsum & scientiam vsus ad executionem. Ratio est. Quia homo iam intelligitur ad beatitudinem per certa media efficaciter consequendam ordinatus per ipsam scientiam illam approbationis, connotantem, vt diximus, liberam illam Dei voluntatem: scientia autem libera eiusdem voluntatis ratione posterior est ipsa illa voluntate, à qua terminatur; quandoquidem omnis scientia visionis supponit obiectum, ad quod terminatur, vt dictum citat. disputat. 2. quæstio. 8. dub. 10. Quæ ratio multò magis procedit de actu illo voluntatis diuinæ, qui dicitur vsus, de quæ eiusdem scientia; vt ex tertia assertione colligitur.

22 Et confirmatur; quia neque scientia reflexa ipsius scientiæ approbationis, in qua consistit prædestinatio, seu quod idem est, ipsius prædestinationis, pertinet ad essentiam prædestinationis; neque in humanis etiam reflexa-

cogniti-

cognitio actus prouidentia, seu decreti constituentis media ad aliquem finem consequendum, spectat ad essentiam prouidentia. Nihilominus tamen quia cuiusdam perfectionis est, reflexe etiam quasi cognoscere modum ac rationem suæ prouidentia, hinc etiam ad perfectionem quandam diuinæ prædestinationis pertinet reflexa illa cognitio voluntatis decernentis & prædefiniens hominem perducere ad beatitudinem per certa media. Qua ratione etiam omnis prouidentia, cum efficax est & perfecta, qualis in Deo esse non dubitatur, consequenter secum trahit actum voluntatis, qui vsus dicitur, & ad actualem executionem prouidentia pertinet.

23 Ex quibus denique etiam colligitur vera & essentialis definitio Prædestinationis; quæ ratione varia eius, quæ à Doctoribus adferuntur, definitiones intelligi debeant. Prima est S. Augustini lib. 2. de bono persequer. cap. 14. ubi eam definit. *Præscientiam & præparationem beneficiorum DEI, quibus certissime liberentur, quicumque liberantur.* Vbi nomine præscientia non est intelligenda præscientia quasi speculatiua eorum, quæ futura sunt, sed scientia practica & approbationis, quæ est causa rerum; quæ ideo etiam rectè præscientia dicitur, quia non solum duratione, sed etiam causalitate præcedit terminum ita præscitum, tanquam eius quædam causa, vt ex dictis constat. Qua de causa etiam addidit Augustinus, *& præparatio*, nimirum explicationis causa, vt significaret, non esse otiosam scientiam, sed practicam & efficaciter præparantem siue ordinantem diuina illa beneficia: per quæ ex dictis dub. 1. intelligenda sunt non solum gratia, aliaque media ad beatitudinem procurandam à Deo destinata, vt seq. quæst. dicitur, sed etiam gloria, quia & illis homo liberatur à seruitute peccati, omnisque corruptionis, efficienter siue dispositiue, ista vero formaliter. Quod si Sanctus Augustinus per præscientiam intellexisset scientiam visionis, non debuisset eam præponere præparatioui, sed postponere; quando ea scientia visionis præparationem Dei subsequitur ex dictis.

24 Secunda definitio est eiusdem Augustini lib. 1. de prædestinat. Sancti. cap. 10. Vbi prædestinationem breuiter definit, *Gratia præparationem.* Quo nomine intellexit Sanctus Augustinus internum actum mentis & Intelligentia diuinæ, gratiam rationali creaturæ ab æterno præparantem & destinantem. Per gratiam autem non solum intellexit Sanctus Augustinus gratiam huius vitæ, quæ sunt media ad gloriam, sed etiam ipsam gloriam, quæ iuxta phrasin scripturæ Rom. 6. ver. 23. gratia dicitur; quia fundatur in gratia & prouenit ex gratia, vt Sanctus Augustinus ipse declarat epist. 105. ad Sixtum: *Ipsa vita æterna, inquit, quæ utique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa, gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur; neque ideo, quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* Quibus nimirum, vt ait idem S. Augustinus in Enchirid.

capit. 107. cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?

Tertia definitio est illa, quam veluti communem refert & magistralem vocat Sanctus Thomas in 1. dist. 40. quæst. 1. art. 2. *Est præparatio gratia in presenti, & gloria in futuro;* quæ ex præcedentis explicatione patet.

26 Quarta definitio est Sancti Thomæ hic quæst. 23. art. 1. esse *rationem in Deo existentem transmissionis* (siue efficacis ordinationis & directionis) *creaturæ rationalis in finem vite æternæ.* Cum qua conuenit alia eiusdem planioribus paulò verbis explicata ibidem art. 2. *Esse rationem ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente diuina existentem.* Vbi per rationem ordinis non intellexit rationem obiectiuam ordinis, formaliter & realiter in rebus ipsis, obiectiue autem solum in mente diuina existentem, vt contra Aureolum notauimus etiam quæst. præced. dub. 1. sed ipsam internam conceptionem, seu notitiam practicam ordinis, in Deo realiter & formaliter existentem, & efficaciter ac re ipsa ordinantem aliquos ad salutem & vitam æternam consequendam per certa media.

26 Præter has definitiones classicorum & veterum Doctorum, recentiores etiam varij varias prædestinationis definitiones adferunt, pro ut nimirum variè de natura & essentia prædestinationis, seu actu in quo ipsa essentialiter consistit, sentiunt: quas non est operæ pretium adferre, vel sigillatim expendere. Nos ex dictis hoc dubio, iuxta nostram sententiam ita definimus. *Est notitia Dei practica creaturas quasdam intelligentes efficaciter ordinans ad vitam æternam, per certa media consequendam.* Dicitur notitia Dei practica, quasi loco generis; differentia loco adduntur alia particula; nam, cum dicitur ordinans significatur, non esse quamlibet notitiam practicam, sed eam quæ est causa rerum, & dicitur scientia approbationis, cuius actus in presenti est ordinare; quod est proprium rationis. Additur efficaciter, vt significetur, eam non frustrari effectu seu termino designato, sed suum finem & terminum semper consequi, secus quam in prouidentia fieri nonnunquam diximus quæst. præcedent. Cæteris particulis explicatur obiectum, siue subiectum Cui, & terminus Prædestinationis; quæ omnia ex dictis liquent. Breuius etiam dici potest: *Actiua vel efficax ordinatio diuina aliquorum in vitam æternam per certa media consequendam.* Vbi diuina breuitatis causa dicitur, pro, in Deo realiter existens. Potest etiam dici: *Decretum efficax DEI de quibusdam ad æternam beatitudinem per certa media perducendi;* siquidem etiam decretum non solum actum voluntatis, sed etiam iudicium practicum intellectus significare potest. Quod si dicas, esse decretum efficax diuinæ voluntatis de quibusdam, &c. iam ex nostra sententia nõ erit vera & essentialis definitio, sed solū descriptio ab adiucto desumpta: quia Prædestinatio essentialiter & in recto non est actus voluntatis, sed intellectus ex dictis: quamuis & hæc quoad effectum, & fere rem ipsam obiectiue significatã, cū præcedentibus coincidat. Eodem spectat illa quæ Gregorius de Valentia quæst. 23. punct. 1. ponit, definitio: *Æternum propositum seu decretum DEI, quo Deus*

homines quosdam ordinat ac dirigit in beatitudinem supernaturalem per media supernaturalia re ipsa consequendam. Putat enim ipse pun. 2. Propositum quoque intellectus actum esse. Sed in qua re nil opus est diutius immorari.

27

Obijci potest. Si Prædestinatio est actus internus diuinæ mentis, ut hæcenus explicatum est, ergo verè dici potest, Deus est Prædestinatio; quo modo verè dicimus, Deum esse sapientiam, suumque intellectum & voluntatem, ex disp. 2. quæst. 2. dub. 7. Id autem negat Ecclesia Lugdunensis lib. contra Ioannem Erigenam Scotum tom. 2. auct. SS. Patrum pag. 1068. cum ait: *Nec aliquis unquam tam absurde & importune contentiosus fuit, ut Deum omnia disponentem, diceret esse dispositionem; omnia gubernantem diceret esse gubernationem; omnia ordinantem diceret esse ordinationem. Putamus, quod nec omnia prædestinanda prædestinantem, quisquam dixerit esse prædestinationem. Cum hæc omnia, sicut iam diximus, id est dispositio, gubernatio, ordinatio, prædestinatio, magis ad opera, vel ad operationem creatoris referenda intelligantur. Respondeo concedendo sequelam, loquendo de rigore verborum præcisè; quia reuera prædestinatio per se solum dicit actum internum in Deo; nec aliquid per se ponit in creaturis, ut expresse etiam docet Sancti Thomas hic quæst. 23. artic. 2. in quo differt à gubernatione, & dispositione apud eundem; neque Ecclesia Lugdunensis eum modum loquendi improbat, ut falsum, sed vt nouum, & quo Scotus ille ad quandam sui erroris defensionem abusus est, vt ibidem subiungitur.*

D V B I V M III.

Qua ratione Prædestinatio se habeat ad Præscientiam, Dilectionem, Electionem, Prouidentiam; & an sit huius pars, & qualis.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 1. 2. 4.

1

Postquam dubio præcedente naturam Prædestinationis absolutè & secundum se considerauimus, sequitur, ut explicationem eius comparare etiam, & cum respectu ad alia, cū quibus nonnullam habet affinitatem, instituamus; quando comparata hæc notitia ad distinctam ipsius prædestinationis cognitionem non parum confert. Sunt autem præter librum vitæ, de quo dub. seq. quatuor, cum quibus, ob affinitatem quandam, & similitudinem naturæ, comparari potest prædestinatio; quæ ferè etiam attingit S. Thomas hic q. 23. a. 1. 2. & 4. nimirum Præscientia, Dilectio, Electio, Prouidentia, de quibus ordine quod nobis videretur, sequentibus assertionibus, exponim⁹.

2

Assertio I. Præscientia latius patet quam Prædestinatio; & quamuis vno quodam sensu dici possit genus ad Prædestinationem; alio tamen sensu plane est extra essentiam Prædestinationis; siue ut quiddam præsuppositum ad Prædestinationem; siue etiam ut quiddam ea posterius. Sequi-

tur ex dictis præcedente dubitatione, nec est de hac assertionem vlla specialis controuersia. Probat & declaratur ordine quoad singulas partes. Primam enim frequentissimè tradunt SS. Patres, quando de prædestinatione agunt: qui eandem, etiam omnes causam assignant, quod præscientia sit etiam malorum, scilicet culpæ, prædestinatio verò bonorum tantum. S. Leo epist. 9. ad Petrum Antiochenum: *Credo, inquit, Deum prædestinasse solum bona; præsciuisse vero bona malaque*: Anthor hypognostici lib. 6. *Non omne, inquit, quod præscit, Deus prædestinat. Mala enim tantum præscit, & non prædestinat. bona verò & præscit, & prædestinat.* Similia habent Concilium Atrouicanum II. can. 25. Concilium Valentinum sub Lothario, Prosper, resp. ad obiect. 14. & 25. Gall. ex S. Augustino lib. 1. de prædest. cap. 10. Fulgentius lib. 1. ad Monimum sub fin. Nec dissentit Anselmus opusc. de concord. præscient. & prædestinat. capit. 2. vbi ait, *Prædestinatio non solum bonorum est, sed malorum potest dici.* Is enim seipsum explicat, loqui de malis, in quantum entia, seu actus positui sunt, ut dictum disputat. 2. quæstio. 10. dub. 6. *Quare etiam Ecclesia Lugdunensis lib. aduersus Ioannem Erigenam Scotum tomo 2. Auctor. Sanctorum Patrum pag. 1066. eiusdem Ioannis propositionem, Præscientiam & prædestinationem vnum idemque esse, damnat his verbis: Nos autem, repudiato huius uouitatis errore, teneamus certissimam & firmissimam fidei regulam: & DEO adiuvante fideliter discernamus, aliquando dici præscientiam, quæ omnino prædestinatio esse non possit.* Id quod ibidem pluribus persequitur & demonstrat.

3

Et ratio huius discriminis est manifesta. Quia præscire generatim & absolutè solum dicit notitiam, non autem approbationem & causalitatem in cognoscente, respectu obiecti cogniti; prædestinatio autem, cum sit scientia practica & approbationis, respectu termini prædestinati, dicit & includit etiam approbationem, & causalitatem eiusdem in prædestinante: *DEVS* autem peccata omnia ab æterno quidem nouit, adeoque præscit, sed non approbat, neque causat, ut dictum disput. 2. quæst. 8. & 10. cum de obiectis diuinæ scientiæ & voluntatis ageremus: quare etiam peccata ab eo non prædestinari dictum dub. 6. q. 10.

Atque hæc ratio sufficienter ostendit, præscientiam latius patere, quam Prædestinationem, si præscientia accipitur pro scientia visionis, quasi speculatiua, qua *DEVS* ab æterno nouit omnia, quæ futura essent. At verò si præscientia accipitur pro scientia approbationis, qua *Deus* bona solum, non autem peccata scire dicitur; iuxta illud, *Nescio vos*, &c. quo modo etiam in definitione prædestinationis accipi dixim⁹ dub. præced. ratio illa non procedit; sed est tamen nihilominus alia eiusdem rei ratio: nimirum quod præscientia hoc modo accepta respicit omnem prorsus effectum Dei, qui non potest non esse bonus: Prædestinatio autem eum solum, qui propriè spectat & ordinatus est ad salutem electorum, ut dictum dub. 1. & fusius dicitur quæst. seq.

Secundo vero Præscientiam aliquo sensu esse genus ad Prædestinationem, patet ex dictis. Potest enim accipi Præscientia pro æterna scientia approbationis; quæ est ad genus prædestinationem: & ita accipi ab Augustino in definitione Prædestinationis diximus dub. præced. in fin. Eodem modo accipi videtur ab Apostolo Rom. 8. v. 29. *Quos præsciuit & prædestinavit, &c.* Et rursum Roman. 11. v. 2. cum ait: *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* Accipitur enim hic præscientia non pro præscientia visionis; hæc enim etiam ad malos & reprobos pertinet: sed pro præscientia practica approbationis, vt pluribus dicitur quæst. 5. dub. 5.

Tertio Præscientiam alio sensu esse extra essentiam Prædestinationis, &c. facile probatur ex dictis dub. præced. Si enim accipitur præscientia pro scientia conditionata futurorum, hæc planè præsupponitur ad prædestinationem; vt dictum ibidem assert. 1. In quem sensum etiam accipio, quod S. Thomas in 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. ait: *Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum.* Si vero accipitur pro scientia visionis absoluta, ea sequitur essentiam prædestinationis; neutro autem modo est de essentia prædestinationis, vt dictum ibidem assert. 3. & 7. Atque hæc de præscientia; ex quibus multa dicta Scripturæ & SS. Patrum explicari possunt, in quibus variè de præscientia ad Prædestinationem comparata loqui videntur.

Assertio II. Prædestinatio diuina secundum rationem nostram supponit tum Electionem, tum Dilectionem; Electio vero dilectionem. Est expressa assertio S. Thomæ hic q. 23. art. 4. vbi ait: *Dicendum, quod Prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem; & electio dilectionem.* Idem tradunt Albertus, Vdalricus, Alensis, apud Dionysium in 1. dist. 41. q. 2. qui refert quidem etiam Altisiodorensem & Bonauenturam; sed non ad hoc propositum. Idem etiam docet Durandus in 1. d. 41. q. 1. saltem de Prædestinatione & Electione. Eandem assertionem tradunt omnes Thomista; & sequuntur plerique recentiores, præcipue Gregorius de Valentia hic q. 23. punct. 2. Suarez lib. 1. de prædestin. cap. 11. Neque respicit etiam eam doctrinam Vasquez; sed explicare conatur disp. 89. cap. 12. num. 111. Aureolus tamen in 1. d. 41. q. 1. art. 3. nescio qua ratione hunc ordinem potius constituendum censet, vt primum sit electio, deinde destinatio siue prædestinatio, denique dilectio: vbi simul male etiam sentit, hos actus solum dicere & denotare in Deo voluntatem signi, seu denominationem ab operatione externa transeunte præuisa; quod plane est falsum, vt in genere de attributis diuinis q. 2. & speciatim de scientia & voluntate Dei dictum quæst. 8. & 10. Sed nec Molina 1. p. q. 23. art. 2. disp. 2. & art. 4. disp. 1. memb. 2. & 8. eum ordinem à S. Thoma assignatum videtur agnoscere. Verum quia modus hic loquendi ab antiquis Scholasticis communiter receptus est, libenter eum equidem retineo. Neque dubium est, quin per electionem hoc loco S. Thomas, & veteres Scholastici, intellexerint electionem etiam ad gloriam; vt rectè etiam notarunt Gregorius de

Valentia, & Suarez, & inferius ex verbis S. Thomæ patebit; licet obstat Vasquez loc. cit.

De cætero vero, quo modo modus ille loquendi intelligendus sit, variè variè explicant; prout, nimirum de ipsa prædestinationis essentia variè sentiunt. Et est hac in re duplex difficultas; prima, quomodo dilectio & electio respectu eiusdem obiecti & termini, tanquam duo distincti actus ponantur; cum potius videantur esse idem actus, sola habitudine & denominatione extrinseca à se inuicem differentes; vt etiam inter homines videre est. Vna enim & eadem amici dilectio in eo, qui sibi ex multis certum quendam amicum diligendum censuit, est etiam electio. Nam dilectio dicit relationem ad obiectum absolute sumptum; electio vero dicit habitudinem ad idem comparatè spectatum; diligitur enim aliquid etiam si solum sit; non autem eligitur, nisi vnum ex multis.

Ad hoc breuiter respondeo cum Suarez lib. 1. de prædest. cap. 11. n. 9. S. Thomam nunquam dicere, dilectionem & electionem esse plures actus in Deo; sed eas tamen ratione distingui, ad explicandas duas diuersas habitudines eiusdem actus ad obiectum. Ideo vero dilectio prior dicitur secundum rationem, quam electio, quia habitudine cuiuslibet actus ad obiectum secundum se absolute spectatum, est intrinseca & principalior in actu, magisque simplex, ac minus concreta, quam habitudo actus ad idem obiectum comparatè sumptum. Quia ergo dilectio respicit obiectum, siue subiectum cui, absolute, & secundum se; electio vero per comparationem ad alios, quibus dilectus anteponitur; idcirco prior ratione, est dilectio, quam electio, etiam in ordine ad eundem terminum, puta gloriam, vt dicitur. Quæ explicatio sumitur etiam ex Alberro, & ipso S. Thoma loc. citato. Atque ita patet posterior pars assertionis.

Altero vero & maior difficultas est, quomodo Prædestinatio supponat secundum rationem tam electionem, quam dilectionem, vt in priore parte assertionis dictum. Nam si Prædestinatio est in voluntate, tum vel est illa ipsa electio ad gloriam saltem inadæquatè; aut certe iuxta eos, qui electionem ad gloriam posteriorem faciunt præparatione mediourum, erit posterior prædestinatio. In cuius proinde etiam rei explicatione mirificè se torquet Vasquez loc. cit. Secundum eos vero, qui prædestinationem in intellectu collocant, par videtur difficultas, nisi vel dicatur, Electionem esse de fine, prædestinationem solum de medijs, vt exposuit Durandus loc. cit. aut nisi hæc duo simul admittantur; primum est, Prædestinationem esse actum imperij, qui subsequitur electionem mediourum, quod nos dub. præced. reiecit. Alterum est, Electionem ad gloriam, priorem esse prædestinatione non solum ipsius gloriæ, sed etiam mediourum. Hac enim ratione Caietanus & Thomista hic a. 1. communiter dictum illud S. Thomæ interpretantur, vt per electionem significetur absoluta electio ad gloriam; per prædestinationem actus Imperij, eandem electionem liberamq; voluntatis dilectionem erga electum supponens

quam etiam sententiam S. Thomæ hoc loco admodum conformem esse dubio præcedenti diximus.

9 Quod ex ipsius etiam verbis & ratione, quam assertioni subiungit, ulterius confirmatur citat. art. 4. cum ait: *Ratio est. Quia Prædestinatio est pars providentia. Providentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens, præceptiva ordinationis aliorum in finem. Non præcipitur autem aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Unde prædestinatio aliorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem. Ad quod pertinet dilectio & electio.* Quibus verbis palam est, S. Thomam per salutem dilectione & electione volitam tanquam finem intellexisse salutem æternam siue gloriam, quicquid reluctetur Vasquez loco citato. Et quia simul indicat, Electionem ad gloriam respectu Prædestinationis habere se per modum intentionis, non obscure indicat, electionem ad gloriam secundum rationem priorem esse ordinatione mediorum ad eandem.

10 Sed his non obstantibus, breuiter dico, etiam iuxta nostram sententiam, qui Prædestinationem in actu Imperij constitutam non existimamus, rectè dici, eam secundum rationem esse posteriorem Electione. Quia Prædestinatio consistit in illa scientia approbationis, per quam DEVS aliquos efficaciter ordinat ad vitam æternam, per certa media consequendam: scientia autem illa approbationis talis est, & dicitur, per extrinsecam denominationem, ab actu voluntatis efficaciter ipsam, eiusque obiectum, approbante & volente, ut dictum dubio præcedenti, quæ actus voluntatis, cum in præsentia sit ipsa voluntas efficax conferendi gloriam, seu perducendi ad gloriam per certa media, nihil aliud est, quam ipsa dilectio & electio eiusdem ad gloriam. Quoniam igitur omnis denominatio extrinseca supponit formam denominantem, eademque proinde secundum rationem posterior est, rectè dicitur Prædestinatio supponere dilectionem & electionem ad gloriam; & utraque secundum rationem posterior esse.

11 Obijcies. Scientia simplicis intelligentiæ, non est posterior, secundum rationem, libera Dei dilectione & electione: at vero Prædestinatio iuxta nostram sententiam ex dubio præcedenti spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ: Ergo non potest esse secundum rationem posterior electione & dilectione ad gloriam. Respondetur, maiorem esse veram, si loquamur de scientia simplicis intelligentiæ nudè secundum se spectata, falsam, si sermo sit de illa, prout accedente libera diuinæ voluntatis determinatione & approbatione, est & dicitur scientia approbationis; qua solum ratione formaliter est prædestinatio, ut dictum dubio præcedenti & pluribus explicatum disputat. præcedenti, quæstio, 10. dub. 4.

12 Ex quibus nunc satis probata & explicata manet assertio: cui bene consentiunt ea, quæ de ea-

dem re docet Richardus in 1. d. 4 r. a. q. 2. ubi querit, quomodo differant scientia, præscientia, providentia, prædestinatio, propositum, dispositio, & electio; & respondet: [Quamuis ista in Deo realiter sint idem, tamen differunt secundum rationem & connotata. Scientia enim Dei est certa cognitio omnium, præteritorum, presentium, &c. Præscientia verò est respectu futurorum tantum; respectu tamen bonorum & malorum. Providentia est præscientia practica respectu futurorum, &c. bonorum principaliter, &c. & malorum propter bona, &c. Prædestinatio vero est providentia non respectu quorumcumque futurorum, sed respectu saluandorum in gloria; & Reprobatio est providentia respectu damnatorum interminabili pena. Sic ergo vides, quod prædestinatio est providentia, & providentia est præscientia, & præscientia est scientia, sed non convertitur, &c. Prædestinatio autem & Reprobatio includunt propositum voluntatis diuinæ, &c. Propositum vero est actus volendi, tam respectu futurorum agendorum, quam permittendorum, &c. Electio vero super propositum addit discretionem electi à suo contrario, &c. Dispositio vero formaliter videtur dicere coniunctim propositum & cognitionem.] Ita Richardus.

Ex his vero colliguntur ista. 1. S. Thomam aliosque Scholasticos, quando dixerunt, quod prædestinatio præsupponat electionem, & electio dilectionem, locutos esse de electione & dilectione efficaci ad gloriam. 2. Prædestinationem proinde, Electionem, & Dilectionem ex parte obiecti siue subiecti Cui; vel etiam termini, seu obiecti quod, non differre; quandoquidem eidem personæ eadem bona destinant aut volunt. Sicut enim prædestinatio est ad gratiam & gloriam, ita etiam dilectio & electio; nec nisi respectu prædestinati; loquendo de finali dilectione, de qua hic est sermo. 3. Non ideo tamen esse idem aut eundem actum; sed prædestinationem esse actum ratione distinctum tam à dilectione, quam ab electione; cum Prædestinatio in recto tantum sit actus intellectus; licet in obliquo connotet necessario actum voluntatis, ut superius explicauimus: uterque autem ille (tam dilectio scilicet, quam electio) in recto sit actus voluntatis, præsupponens quidem actum intellectus, essentialiter tamen in suo conceptu eundem non magis inuoluens, quam odium, desiderium, aut similes actus voluntatis, inuoluant actum intellectus. 4. Tantum abesse, ut hæc doctrina, quæ prædictam subordinationem inter Prædestinationem, & Electionem, siue Dilectionem statuit, faueat aut patrocinetur prædestinationi ad gloriam ex præiis meritis, ut potius non sine difficultate cum ea possit conciliari, ut ex S. Thoma ac Thomistis dictum, & apud ipsum Vasquez loc. cit. videre est: nedum ut absolutè decretum dandi gloriam non præiis meritis idcirco nouum, ac totidem auctoribus aduersarium sit, quotquot docuerint, Deum prius secundum rationem aliquos dilexisse &

elegisse.

elegisse ad gloriam, quam prædestinasse, vt suo loco magis patebit.

14 Assertio III. Prædestinatio est quidem pars quædam Prouidentia, at non proprie subiectiua; sed potius integralis aut potentialis. Prima pars est communis Doctorem, contra Aureolum in 1. dist. 41. quæst. 1. art. 3. existimantem, Prouidentiam esse in intellectu, prædestinationem in voluntate. Eandem assertionis partem sæpe tradit S. Thomas hic quæst. 23. præsertim art. 1. vbi ait: *Sic patet, quod prædestinatio, quantum ad obiecta, est quædam pars prouidentia.* Et art. 2. *Prædestinatio est quædam pars prouidentia.* Et artic. 4. *Prædestinatio est pars prouidentia.* Idem docet S. Thomas in 1. d. 40. quæst. 1. art. 2. & de verit. quæst. 6. art. 1. & alij Doctores citat. d. 40. Ratio patet. Quia sicut Prouidentia est ordinatio cuiuscunque rei in suum finem; ita etiam Prædestinatio ordinat creaturas quasdam intelligentes in finem supernaturalem.

15 Secundam partem tradunt Caietanus hic q. 23. a. 1. Suarez lib. 1. de prædest. c. 18. Vasquez disp. 87. c. 5. n. 24. significat etiam Gregorius de Valentia q. 23. punct. 1. & fauet S. Thomas tum hic locis cit. in quibus fere non nisi cum particula diminuentis ait, prædestinationem esse aliquam partem prouidentia: tum in cit. 1. d. 40. vbi ait: *Prædestinationem esse quendam modum prouidentia; sed addere aliqua specialia super eam:* etsi contrarium doceant idem S. Thomas q. 6. de verit. a. 1. Durandus in 1. d. 40. quæst. 1. Capreolus quæst. vn. a. 1. Marfilus in 1. q. 41. a. 1. qui asserunt. Prædestinationem esse partem subiectiuam, & speciem prouidentia eo modo, quo species & genus in diuinis perfectionibus locum habere potest.

Et quamuis, vt rectè notat Vasquez, non multum referat, hoc vel illo modo loqui, probatur tamen assertio. Tum quia non solemus absolute dicere esse plures prouidentias in Deo; sed potius vnã omnibus prouidentem; sicut est vna ars, vna sapientia in Deo, ex dictis quæst. 8. dub. 1. sicut etiam vna dicitur philosophia, complectens plures non species, sed partes quasi integrales, eiusdem, vt Physicam, Mathematicam, &c. Tum quia Prædestinatio, licet in plerisque conueniat cum prouidentia, & vero nihil perfectionis sit in prouidentia, quod non etiam habeat Prædestinatio, nihilominus tamen vendicat sibi aliquid proprium, quod non solum est de ratione prouidentia in communi, hoc enim habet quælibet species respectu generis; sed quod Prouidentia ipsi nullo modo conuenit: quia prouidentia omnis supponit subiectum, cui prouidetur, nec vnquam dici potest, per prouidentiam prouideri existentiam subiecto, cui prouidetur, vt dictum quæst. præced. dub. 2. at vero Prædestinatio ad ipsam etiam subiecti seu personæ prædestinatæ existentiam terminatur, vt dicitur quæst. seq. Idem de prima præordinatione finis dicendum, ex dictis ibidem. Superaddit ergo Prædestinatio aliquid prouidentia, quod non tantum est extra rationem communem prouidentia; sed quod etiam rationi eius communi, quodammodo aduersatur, eamque in aliam rationem quasi specificam trans-

fert: sicut ternarius addendo aliquid binario, scilicet vnitatem, transfert binarium in aliam speciem numeri.

16 Et ob priorem rationem vocatur prouidentia pars quasi integralis ex parte obiecti; seu vt loquitur Caietanus, *pars obiectiua* prouidentia: ob posteriorem, vocari potest pars quasi eius potentialis: sicuti Iustitia pars potentialis est & à Theologis dicitur Religio, Pietas, Observantia, &c. nimirum quia etsi in plerisque cum ea conueniant magnamque proinde cum illis affinitatem habeant; ab eius tamen ratione essentiali non nihil deficiunt. Ita etiam Prædestinatio à ratione prouidentia non nihil digreditur, non quidem proprie deficiendo, sed potius eam vltra capacitatem & exigentiam eius perficiendo. Quæ de causa etiam licet Prouidentia simpliciter & absolute latius pateat, quam Prædestinatio, eamque excedat, quia nimirum est de omni subiecto siue obiecto Cui, de quo est prædestinatio, ac simul de alijs omnibus rebus creatis, de quibus prædestinatio non est: nihilominus tamen ex parte termini seu obiecti quod, vicissim etiam secundum quid à Prædestinatione exceditur: quia nimirum hæc ad ipsam etiam subiecti prædestinati existentiam fertur; quam tamen prouidentia supponit, vt dictum.

DVBIVM IV.

Quid est qualis sit liber vitæ, & quomodo ad Prædestinationem se habeat.

S. Thomas 1. p. q. 24. a. 3.

1 Librum vitæ, de quo sæpe in Scripturis fit mentio, aliquam cum Prædestinatione affinitatem habere, indubitatum est; imo nonnulli ita loquuntur, quasi idem sit, quod Prædestinatio; quare licet S. Thomas peculiari quæstione de hac re agat, nimirum quæst. 24. materiam de Prædestinatione subsequente; commode ea tamen velut appendix quædam & complementum huius quæstionis, in qua de natura & essentia prædestinationis agitur, pertractatur; quam proinde ex ipso S. Thoma sequentibus assertionibus ita breuiter explicamus.

Assertio I. Liber vitæ non est ipsa Prædestinatio diuina; sed memoria & cognitio illius, seu noticia, qua Deus firmiter retinet, & nouit, se aliquos ad vitam prædestinasse. Ita S. Thomas citat. quæstion. 24. artic. 1. in corp. & ad 4. & est communis Doctorem: etsi glossa in illud Psalmi sexagesimi octauis, *Deleantur de libro viventium, cum prædestinatione, confudisse*, videatur, cum ait, *Liber iste est noticia Dei, qua prædestinavit ad vitam, quos præsciuit*, quæ verba tamen S. Thomas ad 4. pro se citat & intelligit. Ratio est, Quia etsi liber vitæ aliàs etiam in Scriptura significet ipsum librum Scripturæ sacræ, quia tradit modum ac rationem consequendi

vitam.

vitam, vt notauit S. Thomas ibidem ad 1. iuxta illud Ecclesiastici 24. versi. 32. *Hæc omnia liber vitæ & testamentum Altissimi, & agnitio veritatis.* Vbi Glossa ait, *Id est, nouum & vetus testamentum;* in propositio tamen metaphoricè accipitur, pro Catalogo seu annotatione & designatione eorum, qui electi sunt ad vitam. Sicut enim inter homines fieri solet, vt illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribantur in libro, vt pote milites vel Consiliarij, qui idcirco etiam dicebantur *Patres Conscripiti;* ita etiam conscriptio seu annotatio, non externa & materialis, sed intelligibilis in ipsa diuina mente, eorum qui prædestinati siue electi sunt ad vitam, dicitur liber vitæ; supponens proinde in eadem diuina mente electionem seu prædestinationem iam factam: quoniam sicut liber, seu scriptura libri, est signum rerum in ea descriptarum; ita etiam tum vniuersum memoria alicuius rei, dicitur quasi quædam tabula, in qua res descripta continetur, iuxta illud Prouerb. 3. v. 1. *Ne obliuiscaris legis meæ; & præcepta mea cor tuum custodiat.* Et mox v. 3. *Describe illum in tabulis cordis tui:* tum speciatim diuina notitia est quoddam signum apud ipsum quidem Deum, non apud alios, eorum qui sunt electi & perducendi ad vitam æternam, iuxta illud 2. Tim. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Dominus, qui sunt eius.* Et consentit Augustinus, lib. 20. de ciuit. cap. 15. vbi docet, librum vitæ esse præscientiam (nimirum speculatiuam) Dei, quæ non potest falli.

2 Addit S. Thomas eodem art. 1. ad 2. ex Augustino lib. 2. ciuit. cap. 14. nihilominus etiam vitam illam diuinam, qua fiet, vt cuilibet in memoriam reducatur facta vitæ suæ, seu bona, seu mala, dici librum vitæ: sicut etiam, inquit S. Thomas, *liber militia dici potest, vel in quo scribuntur electi ad militiam, vel in quo traditur ars militaris, vel in quo recitantur facta militum.* Quo sensu Apocal. 20. v. 12. dicitur, *Alius liber apertus est, qui est vitæ, & indicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.*

Quare autem non pari modo dicatur in scriptura liber mortis, in quo describantur reprobi, rationem reddit S. Thomas resp. ad 3. quia, inquit, *non est (ordinariè scilicet) consuetudo, conscribi eos, qui repudiantur (v. g. à militia); sed eos qui eliguntur; unde Reprobationi non respondet liber mortis, sicut prædestinationi liber vitæ.* Quanquam absolutè nihil obstat, quo minus etiam alter liber reprobatorum in Deo constitatur; cum inter homines etiam describi soleant, qui morte damnandi sunt, vt bene Vasquez hic quæst. 24. artic. 2. iuxta illud Ierem. 17. *Recedentes à te, in terra scribentur;* & Basilium in cap. 4. Isaia, in illa verba, *Erit quod relictum fuit;* & Gregorium Nazianzenum orat. 9. ad Iulianum, vbi ait: *Nisi forte de quodam viuente, pereuntiumq. libro nihil vnquam audisti: illic omnes scribemur, vel vt rectius dicamus, iam inscripti sumus: & fauet illud Dan. 7. v. 10. Libri aperti sunt; non vnus sed plures.*

3 Assertio II. Liber vitæ simpliciter & absolute dictus, non est respectu solius gratiæ, sed respectu gloriæ; seu quod idem est, non est conscriptio seu notitia eorum qui electi sunt solum ad gra-

tiam, sed qui ad gloriam. Ita S. Thomas cit. q. 24. artic. 2. ex communi; & sumitur ex scriptura; quæ fere semper ita de libro vitæ loquitur, vt videre est Exodi 32. v. 32. psalmo. 39. v. 9. Daniel. 7. v. 10. Philipp. 4. v. 3. Apocal. 3. 6. 13. & 21. licet aliquando etiam referatur ad eos, qui iuxta præsentem solum iustitiam ordinati & deputati sunt ad vitam æternam, secundum illud psal. 68. v. 29. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Qui tamen non simpliciter, sed tantum secundum quid intelliguntur scripti in libro vitæ, vt bene exposuit S. Thomas ibidem. Ratio est. Quia sicut in humanis Electio & inscriptio fit ad aliquem finem, non ad ipsa per se media ordinata in eundem finem: non enim miles eligitur aut conscribitur ad hoc, vt armetur, sed vt pugnet; hoc enim est proprium officium, ad quod militia ordinatur: ita etiam in ordine supernaturali liber vitæ simpliciter & absolute non dicitur, nisi respectu electorum ad ipsum finem supernaturalalem, qui est gloria. Quare autem non etiam respectu ipsius vitæ diuinæ, aut vitæ naturalis hominum, datur liber vitæ, optimè rationem reddit S. Thomas eodem artic. 2. ad 1. & 2. quia cum vita illa vtrisque sit naturalis, ad eam propriè non datur electio; ac proinde nec liber vitæ, qui est electorum ad vitam conscriptio, vt dictum.

4 Assertio III. Absolute & simpliciter conscripti in libro vitæ, ex eo nunquam delentur: secundum quid autem, & secundum præsentem duntaxat statum iustitiæ, in libro vitæ conscripti, aliquando ex eo delentur. Ita S. Thomas ead. quæst. 24. artic. 3. ex communi. Et primum patet ex illo Apocal. 3. v. 5. *Qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.* Secundum patet ex illo Exodi 32. v. 33. *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Et psal. 68. v. 29. *Deleantur de libro viuentium.*

Ratio vtriusque est. Quia liber vitæ absolute & simpliciter est ordinatorum in vitam æternam, secundum diuinam prædestinationem, quæ infallibilis est, & immutabilis, vt inferius dicitur; secundum quid autem, etiam ordinatorum ad vitam æternam secundum præsentem iustitiam; seu vt loquitur S. Thomas, eorum, qui sunt habituri vitam æternam non in seipsa, sed in sua causa; qui dicuntur deleri de libro vitæ, non secundum ipsam notitiam Dei; quasi hæc in Deo mutetur, & Deus aliquid desinat scire, quod antea sciebat; sed secundum ipsam rem scitam, & effectum gratiæ, qui amitti potest: quo fit, vt etiam Deus nouerit, aliquem prius ordinari in vitam æternam, & postea non ordinari, postquam à gratia excidit; vt rectè S. Thomas ibidem: quamuis citatum illum locum ex psalmo 88. Patres subinde etiam aliter explicant, nimirum vt vel intelligatur solum secundum spem & opinionem humanam qua videbantur alijs, aut sibi, inscripti libro viuentium, cum tamè non essent; neq. aliud sit, deleri de hoc libro, quàm innotescere, eos non fuisse inscriptos eidem; quomodo etiam alias nonnunquam tunc in Scriptura aliquid fieri dicitur, quando innotescit. Ita Augustinus, Rufinus, & Glossa ordinaria in eum locum: vel vt idem sit, *Deleantur;* quod,

non scribantur, vel non sint scripti, vt pluribus Vasquez cit. quæst. 24. art. 3.

Illud vero Moyses Exod. 32. v. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*, inter alias explicationes, quas habet Vasquez loc. cit. meo iudicio optimè intelligitur per hyperbolem seu exaggerationem, vt indicat etiam Augustinus in Exod. quæst. 147. ad declaram vim amoris erga populum; quo modo amantes, cum enixissimè rogare volunt, dicunt, *Aut fac hoc, aut occide me, quia sine eo viuere non possum; probè gnari, id quod petitur, nunquam futurum. In quem sensum etiam locuta est*

Rachel Genes. 30. v. 1. *Da mihi liberos, alioqui moriar.*

Ad eundem modum accipi potest illud Apostoli Rom. 9. v. 3. *Optabam ego ipse Anathema esse à Christo, pro fratribus meis*: quanquam hoc cum S. Anselmo, Caietano, in eundem locum, & Bartholomæo Camerario in dial. cap. 6. rectius ita explicet Vasquez, vt Paulus loquatur de tempore, quo adhuc erat in Iudaismo; quo serio plane ipse, zelo Iudaicæ legis, & amore fratrum, à Christo perpetuo separatus esse cupiebat; ratus, Christi doctrinam legi diuinæ contrariam esse.

Q V Æ S T I O III.

De termino seu obiecto Quod, & Effectibus Prædestinationis in specie.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 2. 4. 5. & 8.



Resoluetur hæc quæstio tribus dubitationibus. I. An dona omnia & bona supernaturalia Prædestinati sint effectus Prædestinationis. II. An bona etiam quadam naturalia Prædestinati, qualia sunt eius existentia, vita, valetudo, vires, &c. sint effectus Prædestinationis eiusdem. III. An mala etiam qualibet eiusdem, tum pœna, tum culpe; aut saltem permissio culpe, sint effectus Prædestinationis.

D V B I V M I.

An dona & bona omnia supernaturalia Prædestinati, sint effectus Prædestinationis.

S. Thom. I. p. q. 23. a. 1. & 2.

Explicata natura Prædestinationis, merito de eius effectibus prius agimus, quam de causis: tum quia tractatio de effectibus facilior est; tum quia cognitio causarum multum pendet ex notitia effectuum, eamque supponit. Et quod in rebus naturalibus accidit, vt ex cognitione effectuum rimemur causas earundem; id etiam in hac materia vsuuenit. Et tamen S. Thomas nullam inquisitionem peculiarem de effectibus instituerit, sed sparsim solum & incideret quadam de ijs attingat locis cit. quasi nimirum ij per se satis noti essent, ex natura prædestinationis; nihilominus tamen ob controuersias quasdam iuter recentiores Theologos hac de re ortas, necessarium est, eam ex instituto persequi & explicare. Sermo est autem de effectibus Prædestinationis in genere causæ efficientis; non materialis, aut formalis, seu finalis; nisi quatenus internus actus diuinæ prædestinationis est ipse Deus, qui simul est & causa efficiens, & finalis omnium effectuum suorum.

Vocatur autem effectus prædestinationis, etiam terminus eiusdem, & obiectum Quod, vt distinguatur ab obiecto, vel subiecto Cui; quæ est persona ipsa, quæ prædestinatur; iuxta ea, quæ diximus quæst. 1. dub. 1. & quæst. 2. dub. 1. Vbi

tamen hoc discriminis est inter prædestinationem & prouidentiam; quod ipsa etiam existentia subiecti prædestinati potest esse obiectum Quod prædestinationis, & effectus; non autem prouidentia, vt dicitur dubio sequenti. Possunt autem omnes effectus Prædestinationis in tres ordines distribui, rerum supernaturalium videlicet, bonorum naturalium, & malorum; de quibus ordine singulis dubijs agere proposuimus.

Supponimus autem generatim primo, Prædestinationem plane habere aliquos effectus; seu quod idem est, esse causam efficientem quorundam effectuum, qui ex ea consequuntur: siue eos causet per physicam efficientiam, immediatè agendo ad extra; siue potius quasi per moralem & artificiosam, per modum scilicet dirigentis, aut impellentis potentiam executiuam, immediatè ad extra operantem; pro communi scilicet ratione caufandi diuini intellectus & voluntatis, de qua egimus disputatione præcedenti, quæstione vndecima. Tradunt hoc fundamentum omnes Theologi in prim. d. quadragesima & quadragesima prima. & S. Thomas hic artic. 2. & est expressa doctrina S. Augustini, de Prædestin. sanct. cap. decimo, & de bono persuerantia cap. 14. & sumitur ex Apostolo ad Romanos 8. versu 28. *scimus autem, quoniam diligentibus DEUM omnia*